



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 112. Pacis Articuli inter utrumque Regem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.

A. C. 1489.

§. CXII.

Pacis articuli inter utrumque Regem.

Totum pacis negotium multis ultro citroque propositis tandem die vigesima secunda Julii absolutum est sequentibus articulis. I. Pax firmetur inter Carolum VIII. & Romanorum Regem. II. Hac pace comprehendantur Flandri, & Britanniae Ducissa, cui omnia, quæ Dux obitus sui tempore possederat, bona restituantur. III. Decernatur locus, ubi uterque Rex conveniant, & mutuo colloquio agant de reddendis Burgundiæ Ducatu, Carolesii Comitatu, & urbe Audomaropolitana, quam Galliarum Rex repetebat. IV. Romanorum Rex Philippum Clivium in gratiam recipiat, eique ablata bona restituat, & Flandri Brugis capti in libertatem asserantur. V. Rex Francorum omnem navet operam, ut Flandri in obsequium Romanorum Regis revocentur. VI. Utriusque Regis Subditi in bonorum suorum, quæ ærario adjudicata fuere, possessionem redeant. VII. Sequestro dentur urbes, Maclovium, Dinantium, Feliceriæ, & oppidum S. Albin, usquedum Britanniae Ducissa Anglos omnes e ditione sua dimisisset, & lis, quæ de hisce urbibus Carolum inter & Ducissam intercedit, vel arbitrorum judicio, vel judicium sententia

tentia dirempta esset. VIII. Denique in Sæcul. XV.  
 mutuo amborum Regum congressu de li- A. C. 1489.  
 bertate Aurelianensis Ducis agatur.

§. CXIII.

*Articulus de Britannia reddenda a  
 Gallis violatus.*

Hæc pactio, quam vix pacis fœdus  
 appellare audemus, sed potiori no-  
 mine odii, & mutuæ inter utrumque Re-  
 gem indignationis inducias (\*) vocari  
 meretur, nihilominus religiose observa-  
 ta fuit, unicum si excipias Articulum de  
 Britannia; Hujus pacti violatam fidem  
 Galli hoc fucō honestare nitebantur,  
 caussati, quod Ducissa quosdam Anglos  
 in præsidiis urbium, quæ ipsius imperio  
 parebant, retinuisset. Quapropter illa  
 ad Regem, qui tum Ambasiæ agebat,  
 Lega-

(\*) Hanc pactioem vix nomen & omen  
 firmissimi pacis fœderis, sed duntaxat mutui  
 odii suspensionem mereri, quis credat? acces-  
 sit libera utriusque partis voluntas, commune  
 Principum consilium, ac matura deliberatio,  
 absuit dolus, pax utrinque firmata, & ab ipso  
 Carolo Rege Montii apud Turones octavo die  
 Octobris edito diplomate promulgata, ubi præ-  
 terea additum legimus, quod si alicui harum  
 conditionum interpretatio necessaria foret, ea a  
 Rom. Rege, ejusque Filio Philippo petatur.